
SCHOLA MORALIS PHILOSOPHIAE OXON.

[illegible]



OXONIÆ.
Excudebant IOHANNES LICHFIELD, & IACOBVS SHORT, 1624.



ANNVA WHITI MVNIFICENTIA.

1. Prælectori Moralis Philosophiæ 100 l.
2. Aulæ Magdalenensi 44 l.
3. Bibliothecæ AEdis Christi 6 l.
4. Conciones Paschales recitanti 1 l.
5. Coram Academiâ concionanti in festo Divi Thomæ 1 l.
6. Quatuor Scholaribus egenis 2 l.
7. Incarceratis in Castello Oxoni. 2 l. &c.



ET merita, & mortem dum [illegible] revolvo, Poëtam,
  Aut amor, aut vehemens [illegible] esse dolor.
Cura Dei cultûs, morumq; huic [illegible], doctos
  Quos alii cupiunt maluit ille bonos.
Audiit Aularum primus Benefactor, idemq;
  Dum faciunt alii, signifer ipse fuit.
Lampada virtutis decus est præferre, alienam
  Virtutem & meritò dicere posse suam.
Non juvat hæc memorare, libet magè flere, queriq;
  Mortis in hunc quicquam vim potuisse virum.

I. W. A. M. P.

In annuas eius pensiones Aulæ Magd. collatas, hæc habet gratissimus earum particeps.

HÆc ipsum è teneris faustè domus imbuit annis;
Hanc habuit juvenis matrem, moriturus alumnam:
Hæc Cantabrigiam jam sumptibus Aula sororem
Est imitata suis; *Latam* quoq; gloria *Portam*
Nostra aperit reliquis, eadem sperantibus, Aulis:
  Propterea in lacrymas languere (* *Maria*) solutos
  Ne doceas; ni fortè tuo videamur adepti
  Nomen ab exemplo; quid enim deflere sepultum
  Expedit usq; senem, sua cùm suffecerit ætas
  Naturæ & famæ? potiùs lætemur, & amplæ
  Gloria sit vitæ, mortemq; levemus honore.

* *Magdalena.*

Gull. Hayes Art. Magd. ex Aul. Magd.

ERgóne nullum tempus arcebit genas
Lacrymarum inundans sæpiùs nostras mare?
Pullata quoties vestis, & sævus dolor
E sancte nobis venit infensi Iovis?
Bodleïus, & *Camdenus*, & *Savilius*;
In sempiternum fletuum isti fomitem
Nascuntur, hinc ebullit & perpes dolor.
Nondum malignis legibus fati satis
Lacrymis litatum pristinis, threnodijs?
Quin W H I T V S idem, hæc qui nuper suâ
Nos perbeârat, jugis extinctus creet
Multum doloris pabulum: vos apage
Vates iniquos, garrulos, mendacijs
Totos struendis, fata qui non dicitis
Furias, Megæramq; Atropon mortalium
Pestem unicam, cui nulla ratio est optimæ
Mentis, benignæ, candidæ, rectæ, piæ.
Animum juvant hæc omnia, irasci, queri,
Et flere: W H I T V S noster ah fato perit.
Cultûs Dei patronus, & morum fuit.

Ἔῤῥετε Μοῦσαι τί μ' αὐστηρῶς τόσα κάλλ' ἐρᾶτε
Στήθεσι, καὶ πικρῶ̃ ἴσασιν ἄχος γόος.
Οὔποτε Καλλιόπεια ἀπομόρξει δάκρυα λύθω,
Ἀμφὶ τ' Οὐΐτυ ἐπιστάμενον ἀμφὶ τάφον.
Ἀμφότεροι μεγαλοφροσύνῃ κοσμήσαντο τέχνας,
Κεῖνος τὰν ἤθεα, ἐκεῖνος δ' ἔπεσι.
Ἄμφω ἀειμνήστω θρηνοῖς, τ' ἄπο Ὀξονιώνων,
Εἶχα τέχνας ἠθῶν, ἐκεῖνος τι τεχνῶν.

Iohan. Tombes in Act. Incept. Aul. Magd.

Φοῖβον ἄνακτα θεοὶ ὅτη μὲν τέκε πότνια Λητώ,
Ὁρμῆς ἐπλήσθη θνητὴς γηθόσυνα Δῆλος.
Οὕτως ἄμμι καλὸν δ' ἔξει Φοιβότατος ἀνὴρ.
Οὐΐτας, οἴμοι τὸ ἀργαλέον μῦθον ἄλγετε ἔῃ.

Tho. Esson ex Aul. Magd. in Art.
Inceptor.

WHITI *daro Pretio* Mores effingere tentas?
Moribus ergo, tuo ut *nomine*, *Candor* inest.

Henricus Mody Art. Bac. Equitis & Baronetti fil. natu max. Aul. Magd.

DE terris *Ganymedem Iovis* alite
Sublatum ad superos *fama* vetustior
Narrat, posthabitâ conjuge *Iupiter*
Quem dilexit amasium.
Sic desiderium cepit *Apollinem*
WHITI quàm vehemens, protinus ut rapi
Ipsum sydereas fecerit ad domos,
Iuxta & constitui polo.
Tantus jamq; novo est ardor in hospite
Vt neglecta soror *Cynthia* cesserit:
Omnes delicias charus *Apollini*
Vnus suppeditat suo.

Io. Savile Eq. & Baronetti fil. nat. max. ex Aul. Magd.

ALternos *Lachesis* dedit dolores
Nobis Parca maligna; (triste dictu)
Camdenum rapidis rogis adustum
Vix deflevimus, en Patronus iste
Non totus moritur, manet superstes
Multâ parte sui, manûq; plenâ
Dicetur studiisq; præstitisse,
Et Musis teneris opem benignam.
Quas grates meritas tibi rependam
Pro donis? utinam chely liceret
Vocali revocare te *Riphæi*
Vatis: sed quoniam negant sorores,
Libamus tibi non leves honores.

Ioh. Berkly, Æd. Ch. Alumn.

HUmana Parcæ quantuli faciant bona
Sarcophagus hic testatur: ut nihili æstimant
Titulos, Honores, Dona, Virtutes, Opes!
Qui per tot agros Dominus erravit suos,
Tot Rura coluit, tot suas habuit Domos,
Potens Clientum; quiq; nummorum potens
Hominum per ora nomen obtinuit vagum,
Friget: Nec estis liberæ Fatis opes.
Monumenta qui tot posuit honori sacra,
Nostrisq; tribuit munus amandum Scholis.
Et Christianis contulit Musis opes,
Friget: nec ullos abstulit Fatis Honor;
Idemq; Doctis pectus, atq; animos dedit,
Idemq; nummos usibus fudit pijs,
Laicumq; donis auxit, & clerum suis,
WHITUM necullis liquit ignotum locis,
Friget tamen: & heu Fata nil pietas movet.

Gerv. Warmstrey ex Æde
Cht. Alumnus.

CArmina non animus mihi condere sustinet, ist s
Compedibus claudi qui dolet, ille nequit.
Ingeniosa minùs, sed tessera vera dolentis
Sunt lacrymæ; his sacris busta paterna colo.

Ric. Russell ex Aul. Magd. Art. Bac.
Alumnus WHITIANUS.

MAligna nostris fata luxuriant malis;
Interque pœnas mortis, est minimum, mori.
Testor cadaver, quando vixisti, tuum.
Laxata quippe fluxit in rugas cutis;
Longiq; fluidas concavant sulci genas;
Ruis antè mortem: nulla lassi præteris
Commenta fati, nisi quòd in vivis fores.

Vixisse

Vixisse pœna est; nimius est mortis favor.
Proh fati acumen triste! cùm, quod cæteris
Votum solebat esse, supplicium tibi est.

Th. Browne Æd. Chr. Alumnus

TRistia quàm nuper! quàm squalida tempora Musis!
Veriùs Autumnus Vere ineunte fuit.
Vivificum impertit dum Sol animantibus ignem,
Invadunt WHITI frigida fata caput.
An quia, cùm mores, tùm maturissimus annos,
Canior, & lis est, mens've, pilus've fuit?
At malè mortali Parcæ de gente merentur,
Quòd flos, dum spirat suave, repentè cadat.
Flos fuit ille quidem, qui raro surgit in hortis:
Felix ver natum substituendo parem.

Joh. Golder ex Aul. Magd.

AVla suum lacrymis flet WHITUM, Academia Threnis;
Hanc benè moratam: nos dedit esse pios.

Ed. Bently ex Aul. Magd.

VVHITE tibi frustrà labes asperserit atras
Plebs insensa bonis, plebs inimica pijs.
E medijs etenim tenebris in secula fulges;
Et niveis pennis lactea fama volat.

R. C. ex Aul. Magd.

Ad Dominum Doctorem CLAYTON, *in Re Medicâ Professorem Regium, & Aulæ* Lato-portensis *Principalem.*

AVlæ fama tuæ *late* est (CLAYTONE) per omnes
Sparsa oras; facit hoc cura, laborq; tuus.
Quin & in * *angustum nomen* jam surgere cœpit:
Et *Portam* ingreditur gloria magna tuam:
Major at accessit nostræ feliciter Aulæ:
* *Regia* nam facta est munere, WHITE, tuo.

* *Vt vocetur Collegium Pembrochianum.*
* *White-hall.*

Ad Lectorem candidum.

Carmina pauca vides, Lector, causamq; subesse;
Non est conveniens luctibus iste color.

Joh. Harmar Art. Mag.
Coll. Magd.



ORATIO FVNEBRIS HABITA OXONIÆ Aprilis 22°, A° 1624, in laudem Doctoris WHITE, Moralis Philosophiæ apud Oxonienses fundatoris, per GVIL. PRICE ejusdem Philosophiæ Professorem.



Tiamsi vultus vestros ad mœrorem intueor compositos (Academici) non lugere tamen mihi libet, sed queri, & opportuno solamine planctum in indignationē transferre. Cur enim luctuoso novi funeris apparatū Mœcenas desideratissimus, alienissimo tempore lassatam premeret Academiam? Vix adhuc post nuperrimum *Camdeni* obitum, sedata conticescunt suspiria, & ecce redintegrato ictu recrudescit vulnus, quod nondum obduxerat cicatricem. Metuerat fortasse verecundissimus senex, ne suum funus siccis oculis spectaremus, nisi pietatem nostram alienis exequijs deprehenderet occupatam. Testor gratitudinem Academicam! non adeò exilem esse (WHITE) tuorum meritorum conscientiam, ut inerti fatigatorum planctuum obsequio, & exhausti doloris reliquijs, tuis manibus sufficiat paren-

 tare:

tare: novo lachrymarum fonte opus est, & qui totam tibi persolvat pietatē. Habuissemus certè opportunitatem mortis tuæ penè optabilem, si deligere potuisses, ut potiùs inter insolitæ exultationis lætitiam, quàm inter fletus, & funera, interitûs tui nuncium acciperemus: vidisset universa posteritas, quàm integrum tibi mœrorem impenderemus, si festivam victoriæ alicujus, aut triumphi, solennitatem expectâsses, ut tuus in munificentiâ æmulus, in obitu antecessor *Camdenus*, exultantia post receptum Principem pectora, ingrato funere conturbavit. At nunc (quod in luctus diuturnitate accidit) raucum sortitus es encomiasten, & cui ad laudes tuas dicendas, nec verba sufficiunt, nec latera. Quoties autem officio huic funebri, me non ideò destinatum reputo, quòd viri integerrimi facta uberiùs celebrare potuerim, sed quòd familiariùs celebranda cognoverim: magnus mihi animus est, ejus â me solam expectari notitiâ, ab alijs laudationē. Conabor itaq; animo multùm alacriore virtutes ejus laudatissimas non tam prædicare, quàm prodere. Verùm postquā singula persecutus fuero, illud anxium me & inquietum habet (Academici) ne non tam veros defuncti Mœcenatis mores, fidâ oratione narrâsse videar, quàm (quòd alioqui soleo)

soleo) morum & vitæ præcepta tradidisse: adeò enim omnia illius studia, actionesq; omnes ad exactissimā Philosophiæ nostræ normam fuerunt efformatæ, ut qui virtutes ejus fideliter susceperit prædicādas, non existimabitur dixisse, quàm ille bonus & liberalis esset, sed ostendisse tantùm qualis esse deberet, prorsusq; instār Cyri Xenophontei votum potius concepisse, quàm historiā. Ita religiosè eum vixisse constat, ut quos ad virtutē cogere nō potuerit eloquio, saltem invitaret exēplo. Vita quippe ejus morū erat prælectura, eaq; perpetua: nostrā istam Academicam fundatione nuperâ non instituit, sed trāstulit. Cùm enim acerbissimâ morbi diuturnitate valetudinarius, sese norū illud integritatis exemplar, intra unius cubiculi angustias occludere cogeretur, prudens nihilominùs, & salutare consilium inijt: et ne (quantū fieri potuit) amissum sentiremus, tantum virtutis incitamentum, nos morum præceptis curavit imbuendos, ad quæ imbibēda futuros credidit alacriores, postquam constāti actionum suarum tenore approbavit, fieri ea posse quæ præcepturus erat. Nunquā me in hujus unici beneficij mentione immorantē deficeret oratio, magnitudine muneris styli ubertatē suggerente. Verùm tam multa in Academiā nostrā alia con-

tulit, ut si reliqua excutias, poterit hoc exigua tantũ accessio judicari. Tametsi nolim benignissimi viri munificentiã, aliorũ invidiosâ collatione præcellere, nequeo tamen non istam soli huic nostro laudẽ vindicare, quòd benignitatẽ exhibuerit, nec iniquis conditionibus implicatam, nec ingratâ aliquâ reseruatione contractã: in aliorum beneficijs non habebat tantam oblectationem concessi portio, quanta suberat indignatio servati; hic propè unicus liberrimâ concessione nobis omnia contulit, nihilq; sibi præter gloriam reservavit. Non ibo inficias antè aliquot annorum lustra, hanc illum nobis destinâsse benignitatem; neq; tamen existimãdum est, tantum amisisse gratiæ expectatæ liberalitatis tarditatẽ, quantũ addidit gloriæ deliberati muneris judiciũ. Augere mihi beneficiũ videbitur, quisquis non nisi post solertẽ debitæ consultationis hæsitationẽ, liberè & constantèr elargitus est: ambitio enim, & jactãtia, & effusio, & quidvis potiùs quàm liberalitas existimanda est, quæ temerario lascivientis animi impetu, indistinctè profunditur. Neq; parùm ad munificentiæ ejus laudẽ facit, quòd nõ videtur eorũ approbâsse consiliũ, qui testamẽto, quàm vitâ benigniores, eodẽ temporis momento, & boni esse incipiunt, & nulli. Adeò

quippe multa superstes, & incolumis stabilivit, ut videri possit æquævam egisse ætati suæ munificentiã: nisi quòd beneficijs tamen, quàm annis, vivacior fuit. non enim in eodẽ lectulo, & spiritus ejus, & egregiorũ operũ cursus, extinctus est. Supremã nempè ejus voluntatem quisquis inspexerit, omnia inveniet pietate plenissima, quasi non fuisset ei liberũ alio testamẽto mori, quàm ut divitias, quas Religionis professione comparauit, in usum solius Religionis impenderet. Videbaturq; suas non reliquisse Ecclesiæ opes, sed reddidisse. Planè ut piaculũ sit quenquam in illius manes ingratũ fore, qui exẽplo adeò insigni, dum aliorũ meretur gratitudinẽ, ostendit suam. Quòd si fortè quisquã, (quis autẽ poterit, sed si eum quisquã) aut parùm in suos liberalem, aut quovismodo parcũ judicaverit, næ ille admonendus est, totũ hujus optimi viri patrimonium, adeò semper publicæ utilitati devotũ fuisse, ac consecratũ, ut non tam possessionẽ usurpâsse suæ pecuniæ, quàm procurationẽ gessisse videatur alienæ. Prædia, quæ satis ampla sibi paraverat, non exturbatis (quod fieri solet) per vim & injuriã prioribus dominis, insolentèr invasit, opesq; reliquas, quibus ad fœlicissimorũ nostri sæculi civium cõparationem abundavit: neq; sordidissimorũ hominum

 more

more & instituto, suum defraudans geniũ, ideò tantũ collegit, ut colligeret. neq; nimis invidâ sedulitate possedit, non ut ipse ijs frueretur, sed ut nequis alius. Verùm (quæ paucissimorũ hominũ laus est) tam moderatum se gessit in acquirendis opibus, quàm pium eum vidimus in erogandis. Pari semper fastigio in utrâq; stetit fortunâ, ut neq; antequã ditesceret, parùm splẽdidè; neq; postquã locupletatus est, nimis affluentèr vixerit: Epulis & insano conviviorũ luxui, neq; indulsit nimis, neq; nimis abstinuit; quotusquisq; tamen familiariũ est, qui non fores ejus apertissimas, & invitantia limina, mensamq; nunquã non hospitalẽ expertus est? Convictu facili & venusti sermonis comitate sæpiùs epularum tempus extendere solebat, quàm ingratâ frugalitate contrahere. Non sum nescius, multam plerumq; in illius supercilio gravitatẽ insedisse; quam tametsi asperã fortassè alij obstinati animi tristitiã interpretati sunt, nos debitæ adversùs improbos severitatis indiciũ, liberè & audacter pronunciamus: adeoq; illud non excusare laboraverim, ut non minimã indè prædicandæ humanitatis ejus arripuerim occasionẽ. Vix enim certius invenias argumẽtum, quòd amaverit bonos, quàm quòd ita oderit facinorosos. Et certè non adeò absonum

videri debeat; ſi vel pœnitentibus penè fuiſſ
inexorabilis, cùm ipſe rariſſimè admiſerit pe-
nitenda. Nemo cum aut præſentē noverat ali-
quandò, aut vel nomen ejus fando acceperat,
qui non protinùs agnoſceret fœliciſsimū neq;
tamen in adeo celebri admiratione opes ejus
quiſquā, ſed animum mirabatur: effecit nimi-
rùm (quòd difficillimū erat) ut in tam invidi-
oſâ divitiarum affluentiâ, tali fortunâ dignus
videretur: primus enim ferè mortalium, ſi non
unicus, rariſſimo fœlicitatis temperamento, res
hactenus diſſociabiles in ſe uno conjunxerat,
opes & eruditionē. Geſtit mihi animus (quo-
niam ſera naſcendi ſors illā mihi ætatē invidit,
quâ notiſſimâ cōcionū celebritate ingenij ſui
vigorē exercuit) ſæpiùs tamen in illius tēporis
contemplatione verſari. Quàm juvat inſignem
ejus facundiā recolere; cujus, nec longo ſeneſ-
centiū membrorū deliquio minuebatur gratia;
& novo hoc, eoq; fœcundiſſimo, ingeniorum
proventu non adhuc extinguitur fama. Neque
ſanè dubitaret, quiſquis noviſſimis ejus conci-
onibus interfuiſſet; quin, quam in adoleſcentiâ
habuit eloquentiæ vim, eam ad ſenectutē uſq;
conſervaverit illibatā. Conijcere mihi videor
diverſos in auditoribꝰ ejus animorū habitus, at
omnes tamen mirabundos: dum qui valetudi-

nem

ne ejus non noverant, solum ejus mirabantur ingenium; qui noverant, constantiam. Diù enim, multumq; cum ipsâ rerum naturâ luctatus est, donec haud spernendâ consecutus victoriam, morbi sui malignitatem, pertinacissimo animi robore superavit. Heu quantæ te tua modestia & quies subtraxit famæ, dum honores non appetis, & sublimia contemnis: nosq, (vitio perversitatis humanæ) non cujusq; merita, sed dignitatē suspicimus: quotusquisq; enim animadvertit tantùm te in recusandis honoribus emicuisse, quantùm alij in gerendis. Nunc verò (quod unicum poterit pietas Academica) inter tui simillimos illustrium Heroûm agmen clausurus es: mortuusq; tandē celebrabere nuncupatione publicâ, qui hactenus conscientijs solummodò venerabare privatis. Reliquorum ferè omnium Mœcenatum memoriā (Academici) gratæ tantùm posteritatis præscriptione colligimus: *Savilium, Camdenum*, & hunc nostrū (quod ad pietatem efficacius est) præsenti fide vidimus, & venerati sumus. *Henricos* & *Elizabethas* accepimus Benefactores, hos dedimus. Quibus tamen omnibus jam è medio sublatis, securiores hisce ultimis indulgebimus exequiis: citiùs enim novum contigisse nobis gratulabimur beneficium, quàm alium lugebimus Benefactorem.

FINIS.